



Disputatio juridica inauguralis de fidejussoribus

<https://hdl.handle.net/1874/343799>

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE
FIDEJUSSORIBUS,

Q U A M
FAVENTE DĒO TER. OPT. MAX.
Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

M. GERARDI de VRIES,

Philosophiæ Doctoris, ejusdemque Facultatis in Illustri
Academiâ Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi Senatûs Academici consensu, Nobilissimæque
Facultatis JURIDICÆ Decretò,*

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis
ritè ac legitimè consequendis,

Eruditorum examini subicit

REINERUS CREMERS; GRONINGANUS.

Ad diem 5. Augustii horâ locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ
Typographi, clō Ioc XCII.

DISPUTATIO JURIDICA
IN ARTE LEGIS

FIDEI JURIS

AVANTE DNO THEOPH. MAX.

M. GERARDI DE VRIES

Philosophiae Doctoris, ordinarius Professoris in Jure

Academiae Ulmensis in Praesentia Ordinarii

RECTORIS

et Praesidis

GRADUATORII

IN JURE

REINERUS CRIMMERS, Gouveneur



Imprimatur
Ex Officina Francisci Hahn, Assessoris
Typographi, die 10. Junii 1774.



DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE
FIDEJUSSORIBUS.

THESIS I.



Verbis unusquisque obligatur aut pro se aut pro alio, qui pro alio obligatur, aut interveniente novatione intervenit, aut sine ea, illo casu expromissor, hoc adpromissor aut alio nomine fidejussor appellatur à fidejubendo, quia roganti *fide tua esse jubes* respondet *fide mea esse jubeo*, quem homines accipere solent dum

curant, ut sibi diligentias cautum sit, *princ. inst. de fidejuss. l. i. §. 8. ff. de oblig. & action. fidejussio ergo est contractus verborum quo quis jubet fide sua esse, & promittit interveniente stipulatione nulla autem novatione se soluturum quod alius debet.*

Dixi contractus; quia est duorum pluriumve in idem placitum consensus sed qui habet causam sive vim jure civili obligatoriam, stipulatione fit & ideo addido, *verborum*

DISPUTATIO JURIDICA

4
 quia verbis fit stipulatio *l. 12. C. de fidej. & mandat. §. 8. instit. eod. l. 5. §. 2. ff. de verb. obligat. l. 3. §. 4. ff. de admin. rerum ad civit. pertinent: dixi quo quis jubet fide sua esse & promittit interveniente stipulatione se soluturum id quod alius debet, ut distinguatur à constitutore, qui est quoties quis nudo pacto promittit se soluturum, id quod vel ipse vel alius debet §. 9. instit. de actionibus. Dixi nulla interveniente novatione ut distinguatur ab expromissore, qui interveniente novatione debitum, in se recipit ita ut debitor principalis liberetur per acceptilationem, *l. 7. §. 8. ff. de dolo malo, l. 4. ff. de conditione causa dat. caus. non secut. l. 20. ff. ad SCtum Maced. l. 8. §. ff. ad SCtum Vellej. l. 37. §. 8. ff. de operis libert.**

II.

Fidejubere possunt omnes qui stipulanti creditori cum effectu possunt promittere, etiam pater pro suo filiofam. & filiusfam. pro patre potest fidejubere *l. 3. §. 9. ff. de peculio l. 10. §. 2. ff. de fidejuss. l. 2. §. 3. ff. qui satisd. cog. l. 8. Cod. de fidejuss. & mandat. l. 1. Cod. filiofam. minor. Specialiter quædam personæ prohibentur: inter tales est fæmina *l. 48. ff. de fidejuss. cui subvenitur ex SCto Vellejano, quo cautum fuit ne pro ullo fæminæ intercederent l. 1. ff. ad SCtum Vellejanum. Item miles ne omisso armorum usu privatis negotiis occupetur l. 31. Cod. de locat. & conduct. servus non recte pro alio extra rem peculiarem incio & ignorante Domino fidejubere potest l. 19. & 20. ff. de fidej. fidejubere etiam nequeunt infantes, quia neque intellectum neque consensum habent §. 10. inst. de inutil. stipul. l. 1. de verb. obligat. muti surdi prodigi similesque alii etiam prohibentur.**

III. Fi-

I I I.

Fidejussores adhiberi possunt pene omni obligationi
l. 1. ff. de fidejuss. l. 8. §. 6. ff. eod. sive re, sive verbis, sive
litteris, sive consensu contracta sit §. 1. inst. de fidejuss. l. 9.
§. 1. ff. eod. nec refert an principalis sit obligatio an acces-
soria l. 8. §. 12. ff. de fidejuss. l. 27. §. 24. ff. eod. non interest
utrum sit naturalis & civilis, vel naturalis tantum l. 13.
ff. de conduct. indebit. l. 6. §. 2. ff. de fidej. l. 7. §. 16. §. 3. ff. eod.
§. 1. inst. eod. imo & ex delicto natae obligationi recte fide-
jussor adjicitur; sed tum mihi placet hæc distinctio utrum
agatur civiliter, an vero Criminaliter, nam si civiliter
agatur aut Criminaliter quidem, sed ad pœnam pecunia-
riam, nullus dubitat quin fidejussor dari possit & confir-
mat hoc l. 56. §. ult. §. l. 70. §. 5. ff. de fidejuss. si vero crimi-
naliter agatur de pœna corporis afflictiva, tunc dupliciter
agitur aut de judicio sisti, & crimen non valde atrox aut
notorium & homo alioquin honestus sit, tum præstat
eum fidejussoribus committi potius quam conjici in car-
cerem l. 1. §. 3. ff. de custod. & exhib. reor. hujusque fidejuf-
tionis effectus hic est uti fidejussor reum sistat eo die quo
debit, si vero reum non sistit, pœna pecuniaria plecten-
duus sit, videlicet tanta quanta convenerit, sed si neque in
cautione neque in decreto præsidis certa quantitates com-
prehensa sit, & nullus mos quo uti possit: solvenda est pœ-
na arbitrio judicis l. 4. ff. de custod. & exhib. reor. quod si do-
lo fidejussoris fiat ne reus exhibeatur graviore animad-
versione extra ordinem coërceri potest: dicta l. 4. at si aga-
tur de judicato solvendo ex maleficio, non potest fidejuf-
for accedere quia alter alterius pœnæ succedaneus esse
non potest, & peccata suos tenere debent autores l. 22. C.
de panis. Vide l. 13. ff. ad L. Aquil. item l. 5. §. 2. ff. eod.

I V.

Nunc videamus quibus obligationibus fidejussor accedere nequit. Excipitur primo obligatio mere civilis, cui non recte fidejussor accedit, veluti stipulatio dolo vi metuve extorta aut sine causa contracta *l. 3. §. 1. ff. de const. pec. ratio petitur ex l. 112. de R. 7. Vide & l. 7. ff. de except. prasc. & prejud. §. 4. inst. de replicatio*, insuper actioni populari fidejussor accedere nequit, *l. 56. §. ult. ff. de fidej. ratio est in l. 12. ff. de verb. signif. excipitur etiam obligatio ex turpi inhonesto aut impossibili contractu l. 6. §. 3. & l. 12. §. 11. ff. Mand. vel contr. l. 26. & 27. ff. de verb. oblig. l. 20. §. ff. de fidejuss. obligationi dotis conservandæ causa fidejussorem accedere non posse puto, motus l. 1. Cod. ne fid. vel mand. dot. dent. scilicet ne causa perfidiæ in conjugio oriatur. Vide porro l. 2. Cod. ne fid. dot. dent. pignus tamen dari à marito in securitatem dotis cessante perfidiæ ratione non est prohibitum l. 7. §. 6. ff. de donat. inter vir. & uxor.*

V.

Præcedere & sequi obligationem potest fidejussor §. 3. *inst. de fidej.* quinimo & futuræ obligationis fidejussor accipi potest *l. 6. §. 2. ff. de fidej.* hoc vero ita accipiendum est, ut præcedens fidejussoris obligatio tum demum efficax sit & vires capiat cum principalis obligatio aliqua sit constituta: ideo dicitur fidejussoriam obligationem esse accessoriam alterius obligationis & non posse plus in obligatione accessoria esse, quam in principali: idcirco in eandem aut minorem summam fidejussor intervenire potest non vero in majorem *l. 8. §. 7. ff. de fidej.* quod si quis se obligaveret in majorem quantitatem sive summam, an plane inutilis sit illa

I N A U G U R A L I S. 7

illa obligatio an saltem valeat usque ad summam concurrentem disputatur inter D. D. sunt qui dicunt prorsus non valere: sunt è contrario qui dicunt valere saltem usque ad summam concurrentem, sed priorum calculo & meum addere non ambigo: quoniam hoc sic expresse traditum est & clarius quam ne de eo dubitari posset in §. 5. *inst. de fidej. l. 8. §. 7. ff. eod.* notandum enim in d. l. 8. §. 7. *omnino non est prorsus non, sive neutiquam §. 3. inst. quib. non est perm. fac. test.*

V I.

Nunc transeamus ad effectus fidejussionis: quorum primus hic est, quod non tantum fidejussor ipse obligatus sit: sed præterea hæredes ejus §. 2. *inst. de fidej. l. 4. §. 1. ff. eod. l. 24. Cod. eod.* cui regulæ aliqua limitatio addenda nimirum quod ea toties vera sit, quoties principalis obligatio ex contractu aut quasi descendat quoniam obligationes & actiones quæ ex contractibus veniunt & descendunt, in hæredes quoque dantur & transitorie sunt §. 1. *inst. de perpe. & tempor. actionib. l. 12. & 49. ff. de obligation. & action.* hoc non tantum verum est, si expresse: sed etiam si nulla eorum in fidejussione mentio facta est l. 13. *Cod. de contrah. & commit. stipulat.* quod si obligatio principalis descendat ex delicto, tum quoque tenebitur hæres fidejussoris: sed tam diu quam vivit ipse principalis delinquens pro quo spondit fidejussor, nisi forte ante mortem delinquentis lis fuerit contestata §. 1. *inst. de perpe. & temp. action. l. 10. §. 2. ff. si quis caus. in jud. sist. caus. fac. non obtem. l. 26. & 58. ff. de obligat. & act. & l. 164. ff. de R. 7.* vel quatenus ex delicto defuncti factus fuerit locupletior: quia turpia lucra hæredibus quoque extorquenda sunt, licet crimina extinguantur morte l. 5. *ff. de Calumn. l. 16. §. 2. ff. quod metus caus.* cum obligatio principalis

palis ad hæredes transitoria est, tum etiam fidejussoria ejusdem conditionis est quia obligatio accessoria sequitur naturam sui principalis. Secundus fidejussionis effectus hic est, quod in potestate creditoris sit utrum velit reum principalem convenire, an fidejussores: licet nondum excussus sit reus principalis §. 4. *inst. de fidej.* potest etiam creditor pro lubitu si plures sint fidejussores hunc vel illum eligere, ut debitum solvat, qui si solvit non habet regressum adversus confidejussores, quia singuli pro toto debito se obligaverunt, dicto §. 4. nisi aliud fuerit conventum *l. 19. Cod. de fidej.* sed quoniam hoc admodum inhumanum erat fidejussorem convenire ante reum principalem & si plures sunt fidejussores hunc vel illum in solidum convenire: ideo in eorum favorem inventa sunt quædam beneficia numero tria, de quibus tam ordine videndum.

V I I.

Beneficiorum quorum usus fidejussoribus concessus est primum est Ordinis & Excussionis quod vult ut reus principalis ante fidejussorem conveniatur & excutiatur, æquitatis ratione introductum, quæ suadet ut prius eatur ad eum qui vel ob præcipuam culpam vel ob utilitatem ex re præceptam vel aliam ob causam principaliter tenetur, antequam ad illum perveniatur qui minus principaliter tantum tenetur *Nov. 4. Cap. 1.* Si tamen creditor non servato ordine prius convenerit fidejussorem, potest tum ille fidejussor creditorem repellere, donec principalem debitorem excusserit *l. 3. Cod. de fid.* excussio principali debitore neque solvendo reperto, fidejussor cum effectu convenitur. Cessât hoc ordinis & excussionis beneficium variis ex causis quorum quasdam hic subnectere non abs re fore mihi videtur, potest fidejussor
statim

statim conveniri si habiles excussionis termini deficient nempe si debitor absit procul *d. Nov. 4. Cap. 1.* Cessat præterea si principalis debitor notorie non sit solvendo quia quæ sunt certa non amplius sunt certioranda. cessat insuper si fidejussor huic beneficio renuntiaverit quia unusquisque potest favori pro se introducto renuntiare *Nov. 136. Cap. 1. l. penult. Cod. de pactis l. 41. ff. de minoribus.*

V I I I.

Secundum in favorem fidejussorum inventum beneficium est divisionis, invenit hoc beneficium & per epistolam concessit imperator Hadrianus §. 4. *inst. de fidej.* quo cautum est ut si plures sint fidejussores omnesque tempore litis contestatæ solvendo, licet omnes in solidum sint obligati tamen non nisi pro portione virili singuli excuti possint dicto §. 4. si quis ergo conventus sit à creditore ut solidum solvat is potest se tueri per exceptionem hujus beneficii & petere, ut actio dividatur inter eos qui tempore litis contestatæ solvendo sunt *d. §. 4. l. 3. & 10. §. 1. Cod. de fidejussor. l. 26. 72. 28. 151. & 152. §. 1. ff. eod.* cessat hoc beneficium propter multas causas ut pote si quis ex fidejussoribus jam totum persolverit debitum, neque opposuerit exceptionem hujus beneficii §. 4. *inst. de fidej. l. 39. ff. eod.* quia videtur beneficium Hadriani repudiasse *l. 11. Cod. eod.* cessat etiam si quis fidejusserit cum muliere *l. 48. ff. de fidej.* quia non debuit ignorare succurri mulieri per SCrum Vellejanum. Cessat præterea inter fidejussorem & fidejussoris fidejussorem, quia hi confidejussores non sunt, licet plures pro uno fidejussore fidejubentes inter se hoc beneficio uti possint *l. 27. §. 1. ff. de fidej.* cessat insuper si fidejussor ei renuntiaverit *l. penult. Cod. de pactis.* ad hæc cessat si mentitus

fit fidejussor & negavit se fidejussisse l. 10. §. 1. ff. de fidejuss.

I X.

Tertium & ultimum in fidejussorum favorem inventum beneficium est cedendarum actionum, cujus ea vis est ut si quis e fidejussoribus conventus fuit in solidum, & is solidum solvere paratus sit, possit petere à creditore ut sibi cedat actiones contra ream principalem & confidejussores suos l. 17. 36. D. de fidej. hæc actionum cessio non solum ante solutionem & in ipsa solutione, sed & post solutionem fieri potest si modo sub lege & conditione cedendi solutio facta fuerit l. 11. Cod. de fidej. l. 36. ff. eodem l. 76. ff. de solut. sin vero nullum pactum sive conditio de cedendis actionibus solutionem, præcesserit, tum non potest peti, ut sibi cedantur actiones, quia post solutionem obligatio sublata est princ. insti. quib. mod. tolli. oblig. l. 39. ff. de fidej. l. 11. Cod. eodem. & cessio obligationis solutæ, & extinctæ nullius momenti est. Nunc videndum quomodo fidejussio cessat & evanescat: cessat autem variis ex causis nempe solutione principalis debiti princ. inst. qui. mo. tolli. obligat. novatione l. 4. ff. de fides. l. 60. ff. eod. l. 8. §. 4. ff. de Accep. confusione, dum debitor fidejussori vel creditori aut vice versa succedit. l. 5. 14. 21. §. 3. l. 7. ff. de fidejuss. l. 93. §. 23. l. 95. §. 23. ff. de solut. pacto de non petendo l. 62. ff. de pactis aliisque multis & poene infinitis ut ita dicam modis.

COROLLARIA.

I.

Ipse testator cautionem fructuario remittere nequit.

II.

Periculum & commodum rei vendita statim Post contractum perfectum ad emptorem pertinet, licet necdum res emptori fuerit tradita.

III.

Princeps legibus solutus est.

F I N I S.

COROLLARIA.

I.

Iste testator cautionem fructuario remisit
re. nequit.

II.

Triclinum & commodum rei venditae
satis Post contractum perfectum ad
emptorem pertinet. Item actus rei
emptori sunt traditi.

III.

Princeps legis solutus est.

F I N I S.